

Nam, quando probatio v. g. clericatus afferret alteri præjudicium, ut puta, si agitur lis inter duos super beneficio uni eorum collato, cuius collationem alter prætendit nullam, veluti factam in nouo clericum; tunc probatio illa clericatus debet legitime fieri, vel per duos testes, vel per scriptum instrumentum recepti clericatus: ut c. *Tuae de Cleric. peregrin.* ac recte notat Farinacius loc. cit. n. 27. et 28. allegans alios.

261. *Testis unus sufficienter probat, quod moriturus dederit signa pœnitentiæ, sive posse absolvī.* — Similiter ob eamdem rationem seu quia non agitur de alicujus præjudicio: probat sufficienter testis unus, quando quis moriturus dedit signa pœnitentiæ, seu petuit confessarium, de quo saltem unus testatur: quia ille potest absolvī, etiamsi lapsus in phrenesim, vel jam agonizans, superveniente confessario nullum amplius signum dare possit, can. *Qui recedunt. et can. Is qui panitentiam.* 26. quæst. 6; Speculator cit. tit. de *Teste § Restat.* n. 8. Card. Tuschus litt. T. concl. 281. n. 14; Diana part. III, tract. III, resolut. 5, et alii; atque jam dixi in *Theologia moralis*, tract. XIV. dist. 7. n. 67.

262. *Sufficit etiam testis unicus, quando agitur de impediendo peccato.* — Deinde, ubi cunque agitur de impediendo peccato, et simul nondum fuit jus aliquod alteri quæsumum, sufficit testis unicus, utpote ad cujus depositionem oritur dubium, an actus ille liceat: in dubio autem non est licitum operari. Idipsum desumitur ex c. *Super eo.* 22. h. t. ubi ad dictum solius matris de impedimento deponentis, impeditur matrimonium a filio contrahendum, sed contractum non dissolvitur; estque jam dictum supra § 5. n. 146; Abbas in cit. c. *Super eo.* n. 7. et Vivianus ibid. § *Quæ presumptio.* h. t.; Jason in repetit. I. Admonendi. n. 197. ff. de *Jurejurand.*; Farinacius de *Testib.* quæst. 63. n. 48; Sanchez, lib. I. de *Matrim.* disp. 71. n. 4. loquens de impedimento matrimoniali, et asserens, nullum in hoc discrepare; atque n. 2. et seqq. istud amplians ad testem non citatum, ad testem criminosum, atque ad testem qui non vult publice, seu in partis præsentia testificari, sed duntaxat secreto, et absque sui nominis publicatione, arg. c. *Præterea.* 12. de *Sponsalib.* Quod intellige cum Gobat tract. IX. *Theolog. experiment.* n. 66. et alii, quamdui non probatur contrarium: prout fieri posse constat ex cit. c. *Præterea.* juncta Glossa fin.

263. *Ac in denuntiatione inhabilitatis ad ordines, vel beneficium obtainendum. Secus, si beneficium cuiquam jam fuisset collatum.* — Hoc ipsum tradit Layman lib. III. *Theolog. moral.* sect. 5, tract. VI, cap. IV, n. 6. et Pirhing h. t. n. 112. de denuntiatione inhabilitatis ad suscipiendos ordines, vel obtainendum beneficium ecclesiasticum: quia sufficit unus testis juratus, cum agatur de impediendo peccato alterius, et jus parti needum fuerit acquisitum; quamvis (inquit Pirhing loc. cit.) nonnulli contradicant. Quod si autem beneficium cuiquam jam fuisset collatum, certum est, non sufficere testem unicum ad inducendam illius inhabilitatis probationem; sed requiri plenam probationem per duos saltem testes, arg. c. *Super his.* 16. de *Accusation.* cum similibus.

264. *Creditur dicto unius de consensu partium.* — *Tertio* plene creditur dicto unius, de consensu partium. Siquidem, ubi consensus partium intervenerit, potest etiam fieri, ut soli dicto alterius parlis, seu adversarii sui credatur, l. ult. c. de *Fideicommiss.* et l. ult. c. de *Sentent. pass.* ergo pariter, et quidem a fortiori, possunt partes convenire, et facere ut credatur uni testi cæteroquin indifferenti. Speculator loc. cit. n. 41; Farinacius cit. quæst. 63. n. 18. et seqq. allegans communem aliorum; idque intelligens, quando partes non solum consentiunt in personam testis, sed etiam in dictum ejus super certo negotio.

265. *Aut quando testator ita præcepit.* — *Quarto*, statut dicto unius testis, quando testator ita præcepit. Potest enim testator in sua ultima voluntate mandare, ut in materia hæreditatis stetur assertioni unius certæ personæ; et tunc creditur ipsi propter auctoritatem testatoris, utpote cujus solius dispositioni stareatur, l. *Theopompos.* ff. de *Dote prælegat.*; Glossa fin. c. *Veniens* il. 1. et Felinus ibid. n. 18. h. t.; Speculator cit. § *Restat.* n. 8; Jason in repetit. I. *Admonendi* n. 200. ff. de *Jurejurand.* Farinacius cit. quæst. 11. procem. n. 13; Farinacius, ubi supra, n. 39. cum aliis. Qui tamen addunt, tunc requiri citationem partis adversæ, ac prævium testis illius juramentum, quod testator ita sibi impetraverit.

266. *Sufficit dictum unius testis ad probandum innocentiam inquisiti, denuntiati, vel accusati. Idque exemplificatur, et limitatur.* — *Quinto*, sufficit dictum unius testis ad probandum innocentiam inquisiti, denuntiati,

§ VIII. DE NUMERO TESTIUM AD LEGITIMAM PROBATIONEM, ETC

21

vel accusati. Mascardus de *Probat.* concl. 491. n. 17. et 18. et concl. 906. n. 10; Farinacius d. quæst. 63. n. 42. et 43. aliquæ plures ab his citati. Hinc si Titius accusetur, quod occiderit Caium, ille vero probet, quod occiderit provocatus, et ad suam necessariam defensionem; vel quod Caius non ex vulnere, sed ob malum regimen obierit: tunc ad probandum Titii innocentiam sufficit testis unicrus, cæteroquin tamen idoneus, saltem ad hoc, ut non possit condemnari. Secus tamen dicendum, quando per duos legitimos testes probatum fuit, quod Titius occiderit Caium, et Titius econverso per unum testem probare conetur, quod non occiderit: quia tunc ambæ probations non sunt compatibilis (quales tamen sunt in priori casu) sed inter se directe contrarie: ac proinde probatio accusatoris, veluti plenior, præfertur probacioni ipsius rei. Farinacius cit. n. 43. allegans alios, et concordant dicta tit. præced. § 4. n. 74. et 76.

267. *Idem dicendum in causis, in quibus nullo modo, difficulter plures testes haberi possunt. Sic creditur dicto interpretis.* — *Sexto*, sufficit dictum unius testis in probatione causarum, in quibus vel nullo modo, vel saltem difficulter haberi possunt plures testes, arg. l. 1. § fin. ff. de *Verb. obligat.* Ubi creditur dicto interpretis, linguam ignotam alteri explicantis: quamquam Glossa marginalis ibid. dubitet, an interpres possit dici testis, ac velet, eum potius esse dicendum expositorem, quam testem. Mascardus quæst. 11. procem. n. 17. Farinacius cit. quæst. 63. n. 38. allegans alios. Concordat Card. Tuschus, litt. T. concl. 281. n. 50. hoc ipsum docens in antiquis, in quibus fama, et semiplena probatio sufficit: quia pariter (inquit ipse post Decianum, consil. 17. n. 11. et seqq. lib. 3.) admittitur unus testis.

268. *Et quando agitur de indiciis, seu declaratione mentis disponentis. Testis unus attestans in individuo de mente alterius, facit indicium.* — Idem dicendum, quando agitur de indiciis, seu declaratione voluntatis, et mentis disponentis, quæ per indicia et conjecturas satis appareat, l. *Hæredes palam.* § *Sed si notam.* ff. de *Testament.* et l. *Cum proponetur.* ff. de *Legat.* I. Quia testis attestans in individuo, et directe de mente alterius, facit indicium et conjecturam. Alexander consil. 75. n. 14. vol. 5. Et sic in dato casu etiam probat Card. Tuschus cit. concl. 281. n. 71. et 72. illico post Gabriellum consil. 51. n. 8.

lib. II. subjungens, quod ubi agitur de iis, quæ non sunt facti, sed animi et intentionis, unus testis sufficiat.

269. *Testis unus probat concurrente simul fama, arbitrio tamen judicis.* — *Septimo*, probat unus testis concurrente simul fama, arg. cap. I. de *Appellation.* ac notat Abbas in c. *Cum causam.* n. 2. de *Probat.*; Speculator tit. de *Teste.* § *Restat.* n. 11; Card. Tusculus litt. T. concl. 281. n. 32. Quod tamen intelligendum est accedente simul arbitrio judicis, juxta dicenda inferius § 12. n. 401. et 404. ac seqq.

270. *Vel quando accedit juramentum suppletorium personæ principalis. Aut concurrunt alia adminicula.* — Similiter testis unus probat, quando accedit juramentum suppletorium personæ principalis, l. *In bonæ. C. de Rebus credit.* et c. *Sicut de Probat.*; Speculator ibid. n. 8; Card. Tuschus cit. concl. 28. n. 10. Et quoties cum uno teste concurrunt alia præsumptiones, seu adminicula: quia tunc, si testis ille cæteroquin sit major omni exceptione, in causis civilibus (secus in criminalibus) videtur induci plena probatio. Farinacius d. quæst. 63. n. 25. allegans alios; et concordant dicta superiorius tit. præced. § 4. n. 98. 99. et seqq. ubi ostensem, atque declaratum fuit, qualiter ex duabus semiplenis probationibus fiat una plena.

271. *Officialis jurati dicto creditur in his, quæ pertinent ad suum officium.* — *Octavo*, creditur dicto officialis jurati, in his quæ pertinent ad suum officium. Idque fit tum ratione publici officii, quod gerit: tum ratione juramenti, cum juratus sit officium suum fideliter exequi; ac proinde hoc præstare præsumatur; nisi contrarium probetur, per textum in c. *Illud quoque.* 11. juncta Glossa fin. de *Præsumpt.* et c. *Ad audientiam.* 13. de *Præscription.* et alibi.

272. *Sic statur dicto nuntii publici.* — Sic statur dicto nuntii publici jurati in iis, quæ concernunt suum officium. Mascardus de *Probat.* concl. 1121. n. 1. et 4. Puta dicentis, quod aliquem citaverit, Glossa c. *Cum parati.* § *Suus nuntius.* de *Appellat.*; Jason I. Ne is, n. 10. ff. de *Acquirend. hæredit.*; Mascardus, loc. cit. n. 14. et seqq. rationem hujus reddens: quia nuntius publicus juravit officium suum exercere legaliter; et sic ipsi creditur, donec probetur contrarium, dummodo aliunde non sit suspectus. Sed de hoc plura superiorius, tit. III. *De Libelli oblation.* § 2. n. 52. et seqq.

273. *Item ponderatori publico circa mensurationem, seu ponderationem.* — Insuper creditur ponderatori publico circa mensuracionem, seu ponderationem justam rerum ad se delatarum, quando is ab aliqua civitate constitutus est ad ponderandum, seu mensurandum, l. II. de Ponderation. lib. X. ubi ad ejus dictum lites extortae dirimuntur.

274. *Sicut et medico, architecto, agrimensori, et similibus.* — Et idem dicendum in medico, architecto, agrimensore, et similibus : nam etiam uni horum (si unum solum civitas habeat) jurato deponenti credendum esse, decisum legitur in Auth. De non alienandis, etc. § Quod artem. collat. 2; Baldus c. Licet universis, n. 4, h. t.; Felinus c. Veniens. il. 1. n. 20. eod.; Farinacius d. quæst. 63, n. 40. allegans alios.

275. *Statut notarii publici testimonio de gestis a se ipso. Instrumenta publica, in quibus notarius attestatur de rebus a se visis, vel coram se gestis, faciunt probationem probatam.* — Non statut notarii publici testimonio, licet singulari, de gestis a se ipso : ut si attestetur, aliquid a se scriptum. Menochius de Arbitr. judic. lib. II. cas. 92. n. 3; Mascardus de Probat. concl. 1101. n. 1. cum aliis. Adeo, ut instrumenta publica, quæ magna illa præsumptione notarii publici, attestantis de rebus a se visis, vel coram se gestis juvantur, vera credantur, et probationem probatam faciant. Bartolus in l. I. in princip. n. 8. et Jason ibid. n. 10. ff. de Novi oper. nuntiat. Menochius de Recuperand. possess. remed. 1. n. 224; Mascardus loc. cit. n. 2. Idque desumitur ex c. Ad audientiam. 13. de Præscription. ibi : « Nec credendum sit, ipsum scribniarium, cum juratus sit suum officium fideliter exequi, aliud scripsisse, quam a testibus diceretur. » Intellige, nisi aliunde probetur contrarium, seu ejusmodi instrumentum impugnetur, conformiter dicendis infra tit. XXII. De fide instrumentorum. § 10. n. 287.

276. *Quid si testis asserat, se non ita dixisse, sicut notarius scripsit?* — Quinimo Abbas ex allegato textu in cit. c. Ad audientiam. n. 7. de Præscription. post Speculatorem, tit. de Instrumentorum editione. § Restat, vers. Quod si dum attestaciones. n. 10. et seqq. concludit, quod si testis publicatione dicti scripsi facta asserat se non ita dixisse, sicut notarius scripsit : nihilominus notario plus creditur in causis civilibus, per textum cit. c. Ad audientiam. Intellige, nisi forsitan notarius aliunde foret suspectus ; aut falsitas scriptu-

rae sua per alios testes qui simul aderant, et audierant deponentem, probari posset.

277. *Testis unus sufficit in probanda verisimili causa ignorantiae. Ignorantia, qualiter probetur?* — Decimo, sufficit unus testis in probanda verisimili causa ignorantiae. Quia enim ignorantia in dubio praesumitur; ideo testis unicus, de causa dictæ ignor. audie deponens, plene probabit. Speculator tit. de Teste. § Restat de numero. n. 8; Farinacius loc. cit. n. 40. Quinimo in tali casu statur soli jura mento illius, qui allegat ignorantiam ; puta, quod ignoraverit v. g. illum esse clericum quem percussit, c. Si vero aliquis. 4. juncta Glossa y. Ignoraverit. de Sentent. excommunicat.; Card. Tusculus d. litt. T. concl. 281. n. 7. Aut, quod ignoraverit, citationem edictalem contra se fuisse factam. Glossa c. Ex litteris. y. Ad plenum. De in integrum restitut. estque jam dictum supra tit. XIV. De dolo et contumacia. § 2. n. 60.

278. *Testimonio solius Papæ creditur, quando deponit de facto proprio.* — Undecimo, plene creditur assertioni, ac testimonio solius Papæ, quando deponit de facto proprio. Estque illud speciale in summo pontifice, ob supremam ejus auctoritatem, c. Cum a nobis. 28. h. t. ubi Abbas, et Barbosa n. 4. post Romanum, singul. 116. qui istud extendit etiam ad ea, quæ vidit Papa ante Papatum, et alios. Concordat Clem. un. de Probation. estque jam dictum supra tit. XIX. de Probationibus. § 4. n. 104. ac seqq.

279. *Idem dicendum de imperatore, et rege. Cardinali asserenti, se esse legatum Papæ, creditur.* — Hoc ipsum esse dicendum de imperatore, et rege, alioque principe superiore non recognoscente : censem Mascardus de Probat. concl. 139. n. 10. et 33. et concl. 1227. Farinacius d. quæst. 63. n. 28. Barbosa cit. n. 4. cum aliis, quos allegant. Insuper creditur cardinali, asserenti se esse legatum Sedis apostolicæ, etiam non exhibitis litteris sua commissionis, seu legationis, arg. can. Nobilissimus. dist. 97. estque jam dictum l. I. tit. XXX. de Officio legati. 27. ac fuse declarat. Farinacius cit. quæst. 63. n. 55. et seqq.

280. *Sufficit testis unicus in causis levioribus.* — Duodecimo, sufficere testem unicum, cæteroquin idoneum, in causis levioribus, in quibus solum de mod. o præjudicio tertii agitur ; sicut et in causis summaris, quæ de plano, ac sola veritate inspecta expediuntur : tenet Mascardus cit. quæst. 11. proœmial. n. 18. Farinacius d. quæst. 63. n. 20; Pir-

§ IX. DE TESTIBUS SINGULARIBUS, EORUMQUE PROBATIONE.

23

hing h. t. n. 412. et alii : estque uberior dictum supra tit. præc. § 3. n. 64. et 65. ubi a n. 61. usque ad n. 68. nonnulla alia hue applicabilia continentur.

281. *Sicut et ad leviores pœnas delinquentibus imponendas; idque exemplificatur.* — Similiter ad leviores pœnas delinquentibus imponendas sufficit, quandoque unicus testis de commisso excessu : unde ex testimonio publici custodis muletari solent furantes ligna ex sylva communi. Sic etiam in religionibus levæ pœnitentiae imponi solent ex unius testimonio : quia in ipsis ita expedit facere pro bono communi, seu conservanda disciplina regulari ; ut ait Lugo de Justit. et Jur. disp. 39. n. 17. Tacentur cæteri casus, apud auto res hactenus citatos videndi : nam illi vel commode reducuntur ad unum præmissorum, vel sunt minoris considerationis.

§ IX.

DE TESTIBUS SINGULARIBUS, EORUMQUE PROBATIONE.

282. *Testes alii vocantur testes contestes; alii testes singulares.* — Quæritur I. Quid, et quotuplicis generis sint testes singulares ? Resp. I. Testes singulares contradistinguuntur a testibus contestibus, atque istis directe opponuntur : generatim enim loquendo, alii vocantur testes contestes; alii vocantur testes singulares.

283. *Et qui sint?* — Testes contestes dicuntur, qui unum et idem factum testantur, v. g. se vidisse, quod Titius occiderit Caium tali loco, et tempore. Testes singulares econtra sunt, qui testantur super diversis factis, ita quod quilibet est singularis in dicto suo, et non concordet cum alio.

284. *Singularitas testium potest induci secundum omnia decem prædicamenta.* — Porro hujusmodi diversitas, ac testium singularitas, potest induci multipliciter, et secundum omnia decem prædicamenta : ut in prædicamento substantiæ, si unus testium deponat, Titium furto abstulisse equum, alter asserat, eum abstulisse vaccam, aut hujusmodi. Ita prædicamento quantitatæ, quando unus deponit de centum, alter de quinque. In prædicamento qualitatæ, quando unus testificatur actum pure factum, alter sub conditione ; vel equum alteri venditum extitisse sanum, alio dicente, ipsum fuisse claudum, etc. In prædicamento ubi, et quando, si unus dicat, fur-

tum commissum esse tali die, vel loco ; alter testetur, furtum esse factum alio tempore, vel loco, aut hujusmodi : et sic loquendo de cæteris prædicamentis.

285 et 286. *Ea est triplex; nempe singularitas obstativa, seu adversativa, quid ?* — Resp. II. Singularitas testium est triplex, videlicet obstativa, adminiculativa, et diversificativa. Ita Baldus in e. Licet causam. n. 11. de Probation.; Pirin. h. t. n. 142; Farinacius de Testib. quæst. 64. n. 4. allegans alios ; idque probatur explicando terminos. Siquidem.

Singularitas obstativa, seu (ut alii loquuntur) adversativa dicitur ea, quæ continent contrarietatem testium de eodem actu deponentium, seu repugnantiam in eorum dictis. Sic accidit, quando unus dicit, furtum v. g. vel homicidium, factum esse in tali loco, vel tali tempore ; alter vero inquit, illud commissum esse in alio loco, vel alio tempore : repugnat enim, quod idem numero delictum acciderit diverso tempore, vel diversis in locis. Et talis singularitas obstativa, seu adversativa, reperiebatur in testimonio illorum duorum impudicorum senum, Daniel. XIII. 1 et seqq. quorum unus testabatur, castam Susannam commisso adulterium sub schino, alter sub prino : quos proinde Daniel falsitatis convicerat, eo quod idem numero adulterium sub distinctis locis, seu arboribus, fieri nequivit.

287 et 288. *Singularitas adminiculativa; et singularitas diversificativa, quid ?* — Singularitas adminiculativa vocatur, quando testes deponunt de actibus diversis mutuo tamen sese adjuvantibus ad probandum id, de quo controvertitur. Ut si unus testis deponat, se vidisse, quod Titius abstulerit equum, alter vero deponat, se audivisse Titium confitem, quod abstulerit illum equum. Atque hoc ipsum generaliter contingit, quoties ad eumdem actum, vel finem probandum, tendunt diversæ testium depositiones, dum unus deponit de facto a se visto, alter de fama, vel auditu, seu confessione illius facti : item dum unus testificatur de una confessione, alter de alia confessione ejusdem facti : item, quando in ordine ad probandum v. g. possessionem fundi, unus testis inquit, se vidisse eum arari a Caio, alias vero dicit, se vidisse messem ex eo collectam a Caio, etc. In hisce enim, ac aliis hujusmodi casibus, datur quidem singularitas testium, quantum ad actus illos, de quibus deponunt (hi enim sunt diversi,